Bodleian Libraries
UNIVERSITY OF OXFORD

This book is part of the collection held by the Bodleian Libraries and scanned by Google, Inc. for the Google Books Library Project.

For more information see:

http://www.bodleian.ox.ac.uk/dbooks

This work is licensed under a Creative Commons Attribution-NonCommercial-ShareAlike 2.0 UK: England & Wales (CC BY-NC-SA 2.0) licence.

TRES

ORATIUNCULÆ

HABITÆ IN

Domo Convocationis Oxon.

King (Gulielmus) LL. D. Aulæ B. V. M. apud principalis

LONDINI,
Apud C. BATHURST, & G. HAWKINS, in *Fleet Street.*

OXONII,
Apud JACOBUM FLETCHER.

(1743)

3.

BIBLIOTHECA BODLEIANA

LECTORI.

QUOD oratiunculas hasce, subitas quidem & penè extemporales, edendas curavi, non ex judicio, aut voluntate meâ factum est; sed planè ut obviam irem malevoli cujusdam CANONICI *injuriis. Nam ex quo tempore libertatis & patriæ laudes, & ingenuarum artium studia, & optimorum civium virtutes in senatu nostro celebrare aggressus sum; &, quod neutiquam a meo munere alienum esse arbitrabar, novorum hominum in rempublicam perfidiam & proditionem leviter notavi; ita rei novitate perculsus est vir iste magnificus, ut ultra modum intumuerit (quanquam semper intumescit notabiliter) meque in conviviis rodere, maledictis lacessere, & procacissimâ censurâ in odium & invidiam vocare vix usquam destiterit. Nescio, an credat suam in rem benè conducere, ut in me invehatur. Sed ideò hæc atrocior mihi videbatur contumelia, quòd neque is sermoni meo interfuisset unquam, (quem profectò malebat sibi audiendum ex interpretibus) neque ego verbum quidem unum dixissem de* GIGANTUM

FILIIS, *de* FUNEBRIBUS LAUDATIONIBUS *de* * PLUMBEIS HOMINIBUS; *ne verbum quidem unum de* PLUMBEIS HOMINIBUS. *At neque nunc dicturus sum: adeò clementis sum animi & mansueti. Verùm hercle (ne jocosiùs hæc videar dicere, quum seriam rem ago) in tam illiberali ingenio, tamque immiti superbiâ quid ego miror, si gloria præstantissimorum virorum, & accusatio nefariorum ei sit offensioni? quid miror, si vultus ingenuus, si mores severi, si vox libera ei non sit ferenda, cui deest purpurato dignitas, senatori gravitas, sacerdoti sanctitas, civi urbanitas, homini humanitas? qui cùm me accusat, almam Academiam accusat; cùm meas improbat laudationes, ejus improbat judicia; & verecundis meis oratiunculis irascendo, & pios questus ex alienâ fide damnando, suas ineptias suamque malitiam apertè fatetur. En, hic ille est, qui modò dite sacerdotium arroganter recusavit: nempe cogitat (vide, quid avaritia impudenter cogitat!) ditissimum; quo scilicet erit contentus; & quo*

* τὸ (PLUMBEIS) Eptiheton Anglicè idem sonans. Vide DUNCIAD.

 (eheu!

(eheu! ita est seculum) fortasse donandus. Nos autem nonne intereà his ipsis præclarè admonemur, quid de re amplissimâ, de speciosis titulis, de regum, quæcunque sunt, donis statuat deus optimus maximus; quanti faciat, et quàm nolit ea esse virtutum præmia; quæ talis vir, qui virtutibus planè omnibus caret, sine aut periculo, aut contentione, aut sumptu sibi potuit comparare? Qui in hôc illustri literarum domicilio, cui tamen est infensus, et cujus jura palàm violavit, ornatissimam habet sedem et fructuosissimam; ipse prætereà literis vix mediocriter imbutus, aut ullis artibus, nisi quas, si bonus esset civis, prorsus nescîsset. Hæc tibi, Lector, diligentiùs exposui, ut scias, is quid sit hominis, qui me immerentem ultrò est insectatus; veniamque ut orem his oratiunculis, quæ magnis illis nominibus, quibus honores suos reddere mihi mandatum erat officium, nequaquam omninò sunt dignæ; vix fortasse & meo. Quid igitur? si quæ minùs adriserint, pulchrè memineris ea me emisisse malo coactum. Et certè, qualiacunque sunt, in iis satìs constat tale me servâsse temperamentum;

tum; ut tantùm absint a petulantiâ criminationes meæ de pessimis civibus, quantùm præconia de optimis absunt ab adulatione. Quapropter rustica hujus CANONICI *convitia, insolentiæ, minæ, fastus quid me commoveant; si ego is sum, qui vanissimo corvorum strepitu, quippe auratis indutorum plumis, nunquam exarserim? Immò verò, quidni hæc omnia mihi laudi ducam? sanè ducam oportet, si hodie, si hæc præfatus eâ, quam nuper me invenisse mihi semper gratulabor, apud Academicos meos gratiâ valeam. Sed hactenùs de odiosi istius hominis intemperantiâ. Neque enim pudoris est mei plura adjicere; neque is dignus est, in quem me totum parem. Prætereà autem hanc deponere personam (quam neque appetivi, nequeo etiam sustinere) jamdudum cogito; atque iterum ad limen Musarum me recipere. Ibi sanè omnia & ingenio meo aptiora erunt, & senectuti meæ jucundiora. Ibi faciliùs, forsitan & tutiùs, possim veritatem colere, patriam diligere, & patriæ inimicos odisse, & ridere meos.*

Ex Aulâ B. M. V.
CAL. DEC. MDCCXLIII.

ORATIUNCULA

HABITA IN

Domo Convocationis Oxon.

xviii Kalendas Maii MDCCXLIII.

Cùm illuſtriſſimus Princeps

JACOBUS HAMILTON,

Dux de HAMILTON & BRANDON,

Præſentaretur ad Gradum Doctoris in Jure Civili,

HONORIS CAUSÂ.

INSIGNISSIME

VICECANCELLARIE,

ET VOS

EGREGII

PROCURATORES,

PRÆSENTO VOBIS hunc illuſtriſſimum Principem, JACOBUM HAMILTON, Ducem de HAMILTON et BRANDON;

optimæ indolis adoleſcentem, et ſui ordinis ſpectatiſſimum: adoleſcentem verecundiâ quidem, ſed virum prudentiâ, ſed ſenem gravitate. Cui ſumma in deum, in parentes, in patriam pietas, ſumma eſt ſtudiorum et ingenuarum artium, quibus ipſe ſemper vacavit, reverentia et amor. His accedit comitas ſingularis; quam tantam ille habet a naturâ, ut vix majorem in ullo alio cognoverim: quæque, egregia virtus, ſola facit, ut cæteræ animi et naturæ dotes, ſi deſunt, minus deſiderentur, ſi abundant, eluceſcant magìs. Itaque gratulor reipublicæ, et almæ huic Academiæ, et literis ipſis pro ingenio tali; quod in homine adoleſcente rarum eſt, in nobili verò rariſſimum. Et mihimet ipſi etiam gratulor, quòd mihi datum eſt, ornatiſſimum Ducem, mihique chariſſimum, apud vos commendare: quem ſpero equidem, et (ſi benè virtutes ejus mihi ominantur, ſi, quæ optimè habent ſibi

principia, maturuerint) ſpondeo futurum domûs HAMILTONIÆ decus, patriæ ornamentum, Academiæ patronum, et, quod caput eſt omnium, aſſiduum pulcherrimæ libertatis propugnatorem et vindicem. Nunc verò, etiamſi hanc laudationem meam, non tam benevolentiæ, quàm judicii mei teſtimonium eſſe velim; nequaquàm tamen pro meâ conſuetudine facerem, neque quod nobiliſſimi Ducis modeſtia pateretur, ſi eum laudibus, quanquam veriſſimis, coràm onerarem: præſertim quum clariſſimus ipſe Vicecancellarius mores ejus, ut quos penitus inſpexerit, publicè privatimque celebravit; et cæteros Academiæ alumnos rectè monuit ad ejus exemplum. De ſplendore generis, et vetuſtate familiæ HAMILTONIÆ et DUGLASSIÆ, unde Dux nobiliſſimus eſt oriundus, quâ nihil clarius, ne quidem domus regia, (quippe in Galliâ, in Germaniâ, in Italiâ, in omnibus ferè Eu-

ropæ gentibus ſunt principes et primarii viri, qui ab hâc ſtirpe originem ſuam ſe accepiſſe gloriantur) quot et quanta prædicarem, ſi mihi ſpatium eſſet dicendi? At neque tum prædicarem, ni eximius hic noſter juvenis prædicationem meam poſſet adjuvare; et patriam domum moribus et ingenio ornare ſuo. Sed enim ornat. Dumque ornat, quàm diſſimilis eſt iis adoleſcentibus, qui in Academiâ, tanquam in circulis ruſticorum verſantur; et, ſi amplas habent facultates et lautum patrimonium, ideò nihil omninò ſibi putant deeſſe: qui jactant tum demum ſeſe optimis imbutos artibus, ſi potandi, venandi, et aurigandi ſunt peritiſſimi! Quàm hic autem diſſimilis eſt iis nobilibus, qui, ut nos ad nobilitatis ſuæ memoriam revocent, majorum imagines oſtendunt; ipſi nimirùm honeſtæ familiæ, ſed vitæ infamis, ſine virtute, ſine gloriâ! At verò, quàm diſſimillimus eſt novis iſtis hominibus,

qui

qui ſuperbos titulos et ingentia nomina quærentes (quæ quidem ſalvâ et florente republicâ deſperâſſent) non excellentiâ generis, aut majorum famâ, ſed flagitiis ſuis, ſed perfidiâ ſummâ fiunt nobiles: adeò ut de celſâ illâ et ampliſſimâ, in quam aſcenderunt, dignitatis ſede dignitatem jam penè omnem ſuſtuliſſe videantur! At non hîc noſtrum eſt cum iniquitate temporis pugnare. Suo jure utantur aulici: emant, vendant, corrumpant, corrumpantur. Vos autem, viri integerrimi, antiquum veſtrum ſemper ita tenete morem; veſtram tenete authoritatem philoſophiæ præſidiis, fide et firmitate animi, et liberali ſemper ita munitam cuſtodiâ; ut hunc ſenatum, hanc venerabilem domum nulla unquam attingat infamia; ut neque judiciis, neque conſiliis veſtris nefariorum hominum interponatur potentia; ut denique Academici honores nemini deferantur, niſi qui ſit digniſſimus et honori-

bus illis et majoribus ſuis. Digniſſimum ſanè et his, et illis, et quovis honore *Vobis nunc præſento*, illuſtriſſimum nempè hunc Ducem, *ut admittatur ad Gradum Doctoris in jure civili, honoris cauſâ.*

O R A-

ORATIUNCULA

HABITA IN

Domo Convocationis Oxon.

viii Kalendas Septemb. MDCCXLIII.

Cùm Vir nobilissimus

GEORGIUS HENRICUS LEE,

COMES de LITCHFIELD,

Præsentaretur ad Gradum Doctoris in Jure Civili,

HONORIS CAUSâ.

INSIGNISSIME

VICECANCELLARIE,

ET VOS

EGREGII

PROCURATORES,

PRÆSENTO VOBIS hunc nobilissimum Comitem, GEORGIUM HENRICUM LEE, COMITEM de LICHFIELD:

qui

qui, quum ſit clarus genere, et ampliſſimâ natus familiâ et ſpecioſâ, nullâ tamen eget commendatione majorum. Quicquid enim in viro nobili aut requirere, aut amare ſolemus, ſive elegantiam ingenii, ſive probitatem morum, ſive, quod omnium eſt pulcherrimum, amorem patriæ; in hôc ſpectatiſſimo juvene hæc inſunt omnia. Ac, cùm vobis benè cognitum eſt et perſpectum, quàm benigna ſit ejus natura, quâ induſtriâ ab ineunte uſque ætate ſeveriora ſtudia coluerit, quàm inſtructus ſit et ornatus ingenuis artibus; haud equidem vereor, ne adulatoria hæc videatur, aut in oſtentationem compoſita oratio: haud vereor modicas illi laudes tribuere, cui maximæ, cui aſſiduæ debentur. Etenim hic eſt, hic eſt ille noſter; qui penè puer ſenator factus nihil pueriliter dixit, nihil fecit; ſed pulchra, ſed honeſta, ſed præclara omnia. Quæque hæc omnia, quæque ingenium et

 eruditionem

eruditionem et eloquentiam ſuam maximè commendabant, et nunc commendant, en illi liberalis facies, jucunda gravitas, et ſenatorius decor: quæ paucis hujus ſeculi adoleſcentibus, immò ſui ordinis paucis contingunt: adeò ut vir nobilis, ſi quando de rebus graviſſimis diſſeruit, bonorum animos confirmaret argumentis, etiam malorum deliniret voluptate. Age verò, quam gratiam, quam gloriam illuſtriſſimus COMES tum conſecutus eſt, quum vox populi, quum ſenatus ſummâ voluntate bonorum omnium eum ipſum unum ex judicibus conſtituit de ſummis reipublicæ negotiis; atque ita conſtituit, ut quem veriſſimum judicem putaret! Fuit profectò veriſſimus. Et niſi ſi virtus ejus et firmitudo animi cedere tandem fuiſſet coacta iniquitati temporum, ac prævaricationi malorum civium; jam omninò ſalva eſſet reſpublica, libertas ſalva. Olim meliora forſitan ab optimatibus

noſtris ſperemus; certè omnia, firmatâ ætate, ab hôc honeſtiſſimo adoleſcente; quem nunquam a ſeſe diſceſſurum, et cujus diligentiam et fidelitatem nunquam reipublicæ defuturam mihi perſuaſiſſimum eſt, et vobis, et omnibus. Quid enim? Anne fas eſt dubitare de fide ejus, qui veſtigiis patris optimi ingreſſus nil planè metuit, niſi quod bono cive ſit indignum: qui præſtantiſſimorum virorum exempla ſequutus ita animum formavit, ut alios nobiles excitet vocetque ad exemplar ſui: cujus denique in mente inhæreſcit ſanctiſſimum libertatis nomen; et cujus ſermo omnis cùm ad veritatem, tum ad dignitatem patriæ eſt accommodatus. Sed neque modò in curiâ et conſiliis publicis, ſed etiam in otio et privatis officiis ipſe ita ſibi cunctos devinxit humanitate ſuâ et ſingulari comitate, ut graviſſimi ſenes eum ament, probiſſimi juvenes admirentur, colant amici, obſervent propinqui, invide-

ant

ant pauci, oderit nemo. Prætereo ſtolida oppidani cujuſdam convicia, quæ nuper boando jactavit vir levis et ineptus, et facilis capi veteratoris iſtius inſidiis, qui res omnes aſtu ſolet tractare, ut ſuis commodis pareant. Ecquid igitur mirum, ſi eximius juvenis, quamvìs univerſo ſenatui, et celeberrimæ huic Academiæ ſit probatus, (iis ſanè merito probatus, quibus eſt ornamento) uni iſti, tali viro, diſpliceat? Talibus uſque diſpliceat, uſque inimicis patriæ moleſtus; dum ſummâ ſuâ virtute, et optimâ famâ et optimæ mentis conſcientiâ fruitur; propter quas oppidani iſti honores (ſiqui modò ſunt honores) ei denegantur, hi Academici decernuntur. O! ſi ſic ſemper curemus decernendos, civibus nimirùm huic ſimillimis; non quia nobiles ſunt, aut quia Academici, ſed quia viri boni, et bonorum et doctorum amantiſſimi; non quia hoſce petunt honores, ſed quia merentur: quod quidem genere, et nobili-

tate, et cunctis nominibus, et cunctis honoribus est ornatius. Itaque vehementer gaudeo, et vobis gratulor, quòd, quum alma Academia adstruendum censuit, quantum amplissimum potest, famæ et dignitati hujus nobilissimi COMITIS, id planè meritis detur; magnis omninò meritis hujus integerrimi viri: Quem ego quidem nunquam intueor, quin illi precer fausta omnia, et læta omnia; nunc verò maximè, quum eum *Vobis præsento, ut admittatur ad Gradum Doctoris in jure civili, honoris causâ.*

ORATIUNCULA

HABITA IN

Domo Convocationis Oxon.

viii Kalendas Septemb. MDCCXLIII.

Cùm Vir nobilissimus

JOHANNES BOYLE,

COMES de ORRERY,

Præsentaretur ad Gradum Doctoris in Jure Civili,

HONORIS CAUSâ.

Insignissime Vicecancellarie,

ET VOS

EGREGII PROCURATORES,

PRÆSENTO VOBIS hunc nobilissimum virum, JOHANNEM BOYLE COMITEM de ORRERY, hunc ornatissimum virum, hunc, in quo glorior, *LÆLIUM meum: qui a puero mirè studiosus, et avito præditus ingenio, in almæ nostræ Matris sermone ità fuit educatus, ut omni liberali doctrinâ, et Græcis literis et Latinis haud quisquam hodiè sit eruditior. Anglicani verò sermonis tanta ei est elegantia, tanta oris suavitas, tanta comitas

* Vide SCAMNUM ad Vers. 150. Vide TEMPLUM LIBERTATIS ad Vers. 388. Lib. 1. et ad Vers. 28. Lib. 2.

cum gravitate judicii conjuncta et in dicendo et in ſcribendo, (Lyrica ejus opera teſtes, et diſertiſſimæ epiſtolæ, et jucundiſſima convictio) ut ſæpiſſimè arbitratus ſim, Apollinem ipſum, ut ita dicam, ſi Anglicè loqueretur, hunc quidem velle imitari. Porrò autem, ut iis ſtudiis, quæ homine ingenuo ſunt digniſſima, ſic et iis virtutibus, quæ ingenuum animum maximè exornant, eſt politiſſimus. En vir enim, quo nihil humanius, modeſtius, ſanctius: cujus neque mentitur oratio, neque vultus. En paterfamilias prudens, maritus continens, amicus fidelis, hoſpes liberalis, fautor et patronus literarum (eheu, jam ſeneſcentium!) munificus; quod ſatìs re declarat ſplendida illa librorum copia, quibus bibliothecam Ædis Chriſti adauxit: atque beneficium ideò erat amplius, quòd nemo meliùs aut utiliùs eo fruatur, quàm is ipſe, qui donavit. Neque verò eſt mirum, quòd in hôc clariſſimo viro tot animi dotes, tot-

que naturæ bona, optimarum artium ſtudiis exculta, reperiantur; quum hæc omnia illi planè ſunt gentilitia. Quàm illuſtria enim ſunt avorum ejus, proavorum, atavorum nomina apud noſtros, apud exteros, apud eruditos omnes! Adeò ut hic unus fortaſſe de tot nobilibus ſui temporis ab ſtirpe ipſius Philoſophiæ oriundus eſſe videatur. Sed jam, miſſis ceteris, quem civem cernimus, quem ſenatorem! diligentem, frugi, ſagacem, incorruptum; pro cauſâ patriæ, pro ſalute populi pertinaciſſimum: tum maximè, quum * PLUTUS iſte, iſte ſiniſter loci Genius omni ſcelere, ac pro ſuo arbitrio, Britanniam noſtram lacerabat. Hoc eſt, quod vobis (vobis enim ſcio quàm ſit acer et conſtans libertatis amor) de meliore notâ nobilem commendet; hoc eſt, quod Academicum: et magnæ quidem hoc vobis gloriæ duco, quòd nemo ad hunc uſque diem de Academiâ

* De PLUTO vide TEMPLUM LIBERTATIS.

potuit benè mereri, qui non optimè meritus eſt de Republicâ. Siquidem parùm eſt, quòd quis ſit comis et generoſus, niſi eſt bonus civis: et parùm proſunt, parùm profectò proſunt liberaliſſima ſtudia, et maximarum rerum ſcientia, et maximarum virtutum exercitationes, niſi noſtros impellunt animos incenduntque ad conſervandam libertatem. Itaque nihil magìs in homine hôc præſtantiſſimo laudandum eſſe cenſeo, quàm ſuam erga patriam pietatem: nihil ipſe magìs (et hoc ſemper erit moris mei) laudare geſtio; nequaquam metuens aut vituperationem, aut odium iſtorum, qui hanc laudationem meam propter ſua facinora ad contumeliam accipiant; ac, cùm eximii hujus viri prædicantur virtutes, ſua vitia ſibi exprobrari putent. Rectè equidem et callidè putant. Haud enim ſatis dignè collaudandi ſunt optimi cives, qualis hic eſt, niſi inſigniter ſatis notentur peſſimi, quales ſunt, qua-

les ſunt-----At vos noviſtis homines; noviſtis pecunioſos iſtos, ſed et ſordidos homines, qui oratorio ſuo ingenio, id quicquid eſt, et ſenatoriâ ſuâ potentiâ, quæ maxima eſt, ad perniciem patriæ utuntur; et libertatem idcircò defenſitaverunt vehementer, ut eam tandem prodant turpiſſimè. Noviſtis homines, qui ſe primos omnium eſſe contendunt, proceres, antiſtites, principes Reipublicæ; qui tamen ſimulatione pietatis nihil non impiè faciunt, et ſimulatione publicæ utilitatis omnia (pro dolor!) ſanè apta eſſe vident ſuis commodis ſuoque imperio. Verùm plura vetat optimi hujus viri verecundia, fortaſſe et ætas mea, quæ nunc quidem malè ſuſtinet oratoris partes. At vos, ſi laudationibus meis faveatis, ignoſcite, quæſo, meæ indignationi; quæ, ſiqua eſt, eſt honeſtiſſima; quum unum quidem hoc cogito non tantùm in hâc oratiunculâ, ſed in omnibus ſcriptis meis, et in omni vitâ; ut ſatisfaciam opinioni

nioni veſtræ, et præſtem eam, quam Reipublicæ, quam Academiæ, quam ingenio huic excellenti et ſummo meo amico debeo reverentiam. Atque, ut vobis eſt pulcherrimum, illuſtrem hunc COMITEM in veſtrum ſenatum legiſſe; (illuſtriorem ſanè legiſtis nunquam) ſic mihi quidem eſt gratiſſimum eum virum, quem meritò et arctiſſimè diligo, juſſu veſtro *Vobis præſentare, ut admittatur ad Gradum Doctoris in jure civili, honoris cauſâ.*